



non potest, sed tamen eatenus tantum tenetur fideiussor, quatenus debitor ipse tenetur principalis, nempe ut fideiussor solutum repetere non possit, si forte ex fideiussione iam solvit, sicut nec ipse filius familias tunc repetere solutum posset, uti claris et expressis verbis *L. 9. §. 4. et 5. ff. de Scto Macedoniano* est constitutum.

Quod si vero adversarii regulam allegatam ad eum effectum extendere volunt, ut actio contra fideiussorem locum habeat, tunc regula negatur. Nec enim fideiussor debitum aliud in se suscipere potuit, quam quod fuit in debitore principali, nempe naturale tantum, quod quidem exceptionem dat, non autem actionem (§. V.)

§. XII.

Alterum profertur dubium et resolvitur.

II. Opponunt adversarii *L. 25. ff. de fideiussoribus*, quam pro mea sententia supra §. VII. not. sub r. allegavi, ubi etiam verba legi possunt. Ex hac contra nostram sententiam adversarii ob paritatem rationis desumere putant argumentum, cum in casu, quo quis pro filiofamilias fideiusserit, eadem ratio adsit, quae in casu quo pro pupillo, prodigo fideiussit adest. Immo ex sua opinione a fortiori concludunt a minori ad maius dicentes obligationem filiofamilias esse validiorem, quam